

Q. F. F. Q. S.

34

DISSERTATIO PHILOSOPHICA,

DE

LOOVELA 49
MUTORUM
ET
SURDORUM,

Quam,

Suffragante Ampliss. Philosophorum, ad Regiam Inlytamque
Academiam Aboensem, Collegio,

Sub MODERAMINE

CAROLI FRID.
MENNANDER,

Scient. Natur Profess. Reg. & Ord.

PRO GRADU,

Ad publicum bonorum examen modeste defert

JONAS RUDBERG, Andr. fil.

West Gotia.

D. VIII. Julii, Anno MDCCXLIX.

Loco horisqve solitis.

ABOÆ, Excud. JOH. KÆMPE, Reg. Acad. Typogr.

I. N. 3.

§. I.

Qui a nativitate vel infantia surdi sunt, lo-
qvelæ quoque usu, non tam organorum
vitio, quam institutionis defectu, carent.
Potest vero horum ita intendi perceptio,
ut e motu oris, labiorum, aliarumque sermoni
dicatarum partium, visu observato, literas, ex
literis verba, promte intelligent, & ad illa, non
responsionis tantum signa dare, sed etiam loqui
& respondere addilcant. Quosdam ideo instinctu
naturæ ingeniique bonitate, ex affidua oris lo-
quentium observatione, id assecuratos fuisse perhi-
betur. Plerumque tamen arte singulari & institu-
tione opus est. Hoc artificium invenerunt Hi-
spani, ubi Petrus Pontius, monachus Benedictinus,
primus, quantum constat, illud exercuit, cuius
regulas postea P. Bonnetus scripto comprehendit.
Apud Anglos etiam varii hanc artem literis con-
signatam reliquerunt, in primis Holderus & Wallius,
qui experimenta quoque feliciter instituerunt. Nec
desunt inter Italos ejusdem rei specimina. Sub in-

itio

3

itio hujus seculi apud Belgas Job. Conr. Ammannus,
Helvetius, stupenda industria & successus felicitate,
& scriptis & re ipsa, possibilitatem artis demon-
stravit. Ad sunt quoque recentiora invento fidem fa-
cientia institutionis iurdorum exempla, Proximæ no-
veillæ publicæ Dresden attulerunt, eqvitem Constanti-
num in puerbo Bohemo surdo & muto informando
versari, illo cum effectu, ut legere & intelligere
scripta jam possit, ipse quoque, licet inverte, scribere.
§. II.

Sermo humanus est mixtura multorum diversi
generis sonorum, quorum varietas variis or-
ganorum motibus ortum debet, inter quos vix
minor intercedit differentia, quam inter sonos i-
plos, & characteres eos exprimentes. Hos ita-
que motus, modo visibiles sint, surdi oculis, non se-
cus ac audientes sonos auribus, adhibita attentio-
ne, discernere possunt, loquentes intelligere, aures
quasi in oculis gerendo, & demum ipsis loqui
sensim addiscunt.

§. III.

Organa plurima loquela inservientia dedit no-
bis Numen, quorum aliqua voci & spiritui
efformandis, alia iisdem articulandis, & in varios
sonos mutandis, inserviunt. Ad priorem classem
pertinent respirationi & exspirationi dicatae partes,
quae causam loquela remotam constituunt, ut
pulmones cum altera arteria & bronchiis, costæ
cum musculis interjacentibus, diaphragma & ab-
dominis musculi plerique. Haec omnes in id ami-

ce conspirant, ut aér in pulmonum viscus vel descendat, vel inde egeratur, interdum mutus, ut simplex halitus & non sonorus, interdum cum sono. Redditur vero aér exspiratus sonorus, dum per laryngis rimam, solito plus coarctatam, transit, & per angustam hanc viam celerius movetur, in glottidem, elasticum tremulum corpus, illiditur, & in undas reciprocas percutitur.

§. IV.

Sunt, præter hæc, alia organa loqvelæ particulariter famulantia, qvæ voci varium sonum & literarum formam conciliant, qvæque non inepte in passiva & activa dividuntur. Illa sunt duo isti meatus, per quorum alterutrum aér erumpere conatur, dum in faucibus in bivio quasi constituitur. Una est via per cavitatem oris interiorem, a faucibus se ad dentes usque & inde ad labia extendentem, lingvamque & palatum continentem; secunda vero per narium in fauces aperturam, unde quoque vox & spiritus, impedimentis remotis, emittitur. Cum his meatibus ita res debet esse comparata, ut alterutro aperto, alter claudi queat. Activa autem loqvelæ organa audiunt illa, qvæ vocem varie conformant, & jam ac hunc jam ad alterum meatum determinant. Hæc sunt basi suæ, ossi hyoidis, insistens lingua, non aliis modo usibus, ut gustui & cibis masticandis deglutiendisque, dicata, sed etiam sermoni, dum diversis suis motibus, vocis exitum varia

varia via & impetu moderatur ; uvula sive gurgulio, meatum narium tanquam valvula claudens, qva caruncula bruta animantia carent; maxillæ cum infixis dentibus & labiis, qvorum ope oris hiatus vel clauditur vel expanditur, voxque magis vel minus compressa in literas varias abit. Si vero contigerit, ut horum aliquod corruptum fuerit, genuinæ literarum pronunciationi haud parum obest, variaqve inde lingvæ proveniunt vicia, de qvibus omnibus heic dicere, aut partes has Anatomicorum more exakte describere, nostræ non est instituti.

§. V.

Exposita vocis formandæ ratione, qvomodo ab organis loquelæ destinatis in has vel illas literas, vel sonos singatur, jam breviter confiderandum est. Pro multiplici organorum configuratione & dispositione, multiplices & innumeræ tere esse possunt hæ literæ vel toni, imo, qvilibet illorum gradus qvosdam habet, non eadem oris configuratione pronunciandos. Ipsiæ animalium voces ex literis, qvibus destituuntur alphabeta nostra, compositæ dici possent. Licet vero numerus literarum possibilium definiri non possit, tacito tamen quasi contentu gentes omnes, simplicissimas aliquas cumqve decenti organorum situ enunciabiles, receperunt, certisque pro lubitu characteribus alligarunt, qvi raro ultra viginti quatuor descendunt. Utpote vero una gens ingeniosus

sius, quam alia, signa literarum suarum exprimit, ita earum pronunciatio apud diversas nationes discrepat. Rei autem naturae maxime congruuus literas designandi modus is est, dum literæ simplices signa simplicita possident, & hæc ex adverso simplices denotant literas.

§. VI.

Literas solent artis hujus doctores dividere non solum in vocales, semivocales & consonantes; sed etiam, Hebræorum more, in labiales, dentales, lingvales & gutturales, quibus tamen addendas hi volunt nasales. Ammannus ad triplicem potissimum oris regionem, ubi formantur, respicendum judicat, cum nonnullæ in imo gutture, aliæ circa dentes, vel prope labia, per organa loquela producantur. *Vocales* sunt, quæ voce clara & minime impedita pronuntiantur, illæque vel *simplices*, absqve ulla cum aliis miscela, quarum *a* est gutturalis, *e*, *i*, *y*, dentales, *o*, vero & *u*, labiales. *Mixtae* vel ex gutturali & dentali coaluerunt, ut *æ* vel *å*; vel ex dentali & labiali, ut *œ*, *ö*. *Semivocales* illis dicuntur literæ, quæ quidem cum sono vocali, sed aliquatenus impedito, pronuntiantur, idque vel per nares, ut labio nasalis *m*, & dente nasalis *n*, quæ ante *g* vel *k* gutture nasalis evadit; vel etiam per os, adjuvante lingua, quæ eas proferendo vel tremit, ut in *r*; vel non, ut in *l*.

§. VII.

COnsonantes audiunt, quarum vis non tam in

sono

sono quodam, quam varia spiritus non sonori configuratione, consistit, hasque in *simplices* & *duplices* subdividunt. Piores vel *sibilantes* sunt, quæ pro lubitu produci & corripi possunt, eæque vel *simpliciter tales*, vel cum sono quodam coextenso. *Explorvae* vero uno istu exploduntur, suntque vel penitus mortæ, vel cum levi sono. Observandum autem est hos mutorum grammaticos, dum de semivocalium & consonantium formatione verba faciunt, non intelligere tales, quales a tironibus syllabizantibus pronuntiantur, cum vocalibus admixtis; sed tantum illud, quod remotis vocalibus cuilibet literæ proprium est & essentiale, quodque formalem ejus differentiam a reliquis constituit. De ulteriori consonantium subdivisione pro loco natali, & de cuiuslibet literæ natura & formandi modo in specie, agere, jucundum quidem esset, & instituto conveniens; sed id non patitur temporis angusti ratio, hinc B. L. ad alios, *Helmontium* in Alphabeto naturæ. *Du Hamel* op. philol. de corp. animat. sub finem libr. IV. & in primis *Ammanni* dissert. de loquela, cap. II integr. ablegare tenemur; imo potius ad lemet ipsum, qui enim ad propriam loquelam attendit, facile literarum genesin & differentias animadvertis.

§. VIII.

EX literarum formationibus, quid ei in cujuscunque literæ pronunciatione, qui mutum sursumque docere desiderat, observandum sit, facile quo.

qvoqve colligitur. Sunt autem non omnia subje-
 &ta hujus institutionis æqve capacia, verum ea
 potissimum, qvibus ingenium vividius atqve do-
 cile concessum est, qviqve ætatis nec teneræ ni-
 mis sunt, nec nimis proiectæ, sed in pubertate
 aut adolescentia. Stupidi enim vix illa instituti-
 one emendantur, infantes attentionem adhibere
 non possunt; adultiores, vel nimia sunt verecundia
 vel morositate, vel in illis organa loqvelæ jam
 obriguerunt. Qvorum vero organa inepta sunt,
 poslunt qvidem, hac via edociti, alios intelligere,
 suamque scripto vel aliis signis mentem illis a-
 perire, loqui vero nunqvm discunt.

§ X.

HUic informationi hiberno aptius vix datur tem-
 pus, simul enim discipulus halitum ab ore &
 naribus præceptoris profluentem, videre potest.
 Apud surdos auditus analogum est, qvo vocem a
 spiritu sonoro discernunt, tremulus ille mo-
 tus & titillatio, qvam, dum vocem, qvod haud
 raro sponte contingit, emittunt, in suo ictorum
 gutture sentiunt. Qvamobrem etiam surdi manus
 ad guttur præceptoris est admovenda, ut tremulū
 ejus motum, dum vocem edit, perseniscat. Alio
 enī modo surdus nunqvm, qvid velimus, intel-
 ligere; ignoraret nimirū, utrum simpliciter os a-
 perimus, mutumve excutimus tonum, an veram
 vocem ipsi descendam edimus. Primo omnium præ-
 ceptoris est, ut vocem aliquam, sine qua frustraneus
 ejus

9

ejus est labor, a muto eliciat; eam autem ut obtinuit, ad *vocales* eum brevi tempore pronunciandas assuetacere potest, idque & intuendo diversos oris motus in præceptore, ad has literas efformandas necessarios, & idem aliquoties coram speculo tentando. Semper vero præscribenda simul erit litera, qvæ pronuntianda docetur, quo ideam ejus melius figere possit. Vocalibus sic perceptis, *semivocalium* formationi opera danda est, qvæ aliquanto quidem difficiliores sunt, in primis *nasales*, per nasum enim surdi sonum nunquam nisi educti redundunt. Eliciuntur vero & hæ variis artificiis. Ita, dum discipuli labia comprimuntur, manuque gutturi admota vocem edere cogitur, non prodit. Literam vero & difficillimam esse, & potestati vix subjacentem, patentur, adeoque in commodius tempus, dum loqvelæ organa jam sunt usu mobiliora, eam reservandam monent. *Consonantes* leviori negotio addiscuntur; sunt enim spiritus vel plane mutus vel levissime sonorus, qui triplicemoris regionem varie claudendo, aut aperiendo, vel successive, vel subito erumpit, & sola fere manu ori admota, facile omnes a surdo disci possunt. Circa consonantes vero *duplices* monent, illas prius surdis non esse exhibendas, quam simplices omnes rite effari, dualque combinare didicerint, tum hæ facilime percipiuntur.

§. X.

DUm vero discipulus literas simplices pronuntiare

B

tiare valet, duas vel tres ex facillimis ita efferre debet, ut immediate cohærent, nec inter eas hiatus sit. Dein autem pedetentim difficilieribus combinationibus assuetat; vocales, semivocales & consonantes invicem miscendo, modo has modo illas præponendo; atque sic fiet, ut parvo labore breviqve tempore, dum scriptura semper conjungitur, ut supra monuimus, legere discat. Discipulo hoc modo exercitato liber legendus tradatur, in quo, una perlecta linea, libro clauso, verba a præceptore pronuntiata, repeat, atque sic solo intuitu voces imitari assuetit. Qvando præceptorem hac ratione loquenter sequi valet, ut rezens mundi incola tractandus est; primo nimirum nomina rerum vulgarium, substantivæ, adjectiva, verbæ, adverbia & conjunctiones ei sunt edocenda, tum declinationes & conjugationes, denique peculiares constructiones, quas præceptor illustreret jucundis & maxime utilibus exemplis; & ita sensim necessaria petere poterit, morum civilitatem, æquitatem erga alios, reverentiam erga Deum, & in parentes pietatem, addiscere.

§. XI.

POSSUNT quidem objectiones variæ adversus hujus artis possibilitatem formari, quorum palmaria illa est, qvod surdi vix ita queant visu asseQUI omnes organorum loquelaे motus, ut inde alios loquentes intelligant; præcipue, cum literæ nonnullæ eadem fere oris apertura enuntiantur, aliæ quasi

11

qvasi in faucibus totæ delitescant, unde confusio
furdis enalcitur. Sed adducunt artis magistri non
experientiam modo a partibus suis militantem,
sed vīlum etiam rite exercitatum, auditui vivida
sensibilitate neqve hoc in negotio cessuram, contem-
dant. Porro, non ad os modo respiciendum esse,
sed etiam ad guttur, & adhibendam manualem de-
monstrationem, s̄apie monent. Et qvamvis, ob do-
cendorum infirmitatem, ab initio tarde procedat ne-
gotium, & distincte agendum sit, ac ore aperto in
omni extensione literæ pronuntiandæ; exercitatio-
ne tamen postea eventurum pollicentur, ut neq
hæsitent in festinanter, & qvavis oris apertura, pro-
latis, sed ex aliquibus intellectis, præsertim admix-
tis vocalibus & semivocalibus, tanquam arrepto
filo, reliqua intelligere possint.

§. XII.

Licit hoc artificium cum miraculis nihil habeat
commune; ad praxin tamen ejus, in primis sub
initio, patientiam tantum non miraculosam ejus
doctores reqviri afferunt. Ammannus tamen II.
septimanarum spatio, puerū furdum & mutum
docuit orationem dominicam & legere & memo-
riæ mandare; plerosque alios intra bimestre tem-
pus legere & verba plurima pronuntiare. Nec ni-
si binos sub praxi sua indoctos a se dimisit, puel-
lam ob ingenii hebetudinem, & Judæum, a quo
ne gratias qvidem pro collocata opera exspecta-
re potuit.

§. XIII.

Solent communiter surdi afflvesieri mancæ con-
fabulationi per gestus & signa, qvæ inter pau-
cos / familiares tantum est restricta. Sed vel ex
allatis apparere credimus, posse fortè eorum red-
di tolerabiliorem, imo, vulgari in eo præstantio-
rem, qvod aliós, voce etiam maxime submissa lo-
quentes, intelligere tamen queant. Hinc & in alios
redundare potest illud ex hac arte commodum, ut
tam oculis qvam auribus audiant, & qvid de illis di-
catur, & missitando occultetur, modo prætentes
sint, oculis etiam e longinqvo detegant. Surda tri
difficultatui auditus concionum sacrarum hac via
suppetias ire possunt, & consortio humano reddi
magis idonei. Vitia etiam loqvelæ, tam univeralia
qvam particularia, qvæ ab organorum ineptitudine
non ducunt ortum, hujus artificii ope penitus tolli
possunt. Si denique hac methodo literæ soniqve
delineati prostarent, de deperdita lingvarum pro-
nuntiatione conqveri non esset necessum.

S. D. G.

